DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. DECEMBRIS,

M. HELIA BEDA DES FOVGERAIS, Doctore Medico, moderatore.

936

An rara roboris & ingenij concordia?

T EMPERAMENTVM est ingenita nobiscum qualitas, ex mutua elementorum actione perpessioneque proueniens actionis causa: quod vt omnium partium inculpatas efficit actiones, si conuenientem humanæ naturæ viribus proportionem sortiatur, sic ipsius actionibus obsistit, si paululum à naturali norma deflexerit: huius imperium non solis corporis limitibus coercetur, sed ad principes animæ facultates (sedibus nusquam distinctas) extenditur, & cum qualitatum, ex quibus temperamentum enascitur, aliæ imaginatrici, recordatrici aliæ, aliæ intelligenti conducant, pro vario earum excessu, ea facultas perficitur, quæ hanc vel illam temperiem ad functiones requirit: hinc phantasia tantò præstantior, quantò mollius & calidius cerebrum nacta fuerit: eò memoria felicior, quò illius substantia temperatior & firmior extiterit, nec facultatum varietas ex animæ essentia, vel ex similitudine substantiæ, sed varia cerebri constitutione desumitur.

M IRA Naturæ solertia, quæ sublunaribus quibuscunque eadem largiendo primordia, ignem, aërem, aquam, atque terram, horum tamen qualitates (licèt summum sui generis gradum impleant in quolibet ipsorum elemento) tam varia societate copulauit, vt ex iis mixta penè infinita promanarint, & in vna hominum specie, tam ingeniosè, calidi, frigidi, humidi, atque sicci vires temperauit, vt diuersis indiuiduis diuersos mores, diuersaque ingenia fuerit impertita, pro variâ mixtione vtriusque seminis animati, sibi proprium domicilium fabricantis, & sanguinis menstrui solâ quantitate peccantis, & tunc fit, πρώτη μέθεξις σὺν τῷ θερμῷ τῆς περιπλικῆς ψυχῆς. Ecce melancholici statura breuiori mediocrique carne prædití, robustissimi sunt, pigro ingenio, minusque promptâ memoriâ, sed præteritorum recordatione cæteris præstant: difficilè res arduas suscipiunt, sed quas suscepere, pertinaciter exequuntur. Biliosi quorum corpus gracile, promptissimi sunt & loquacissimi, salibus quidem referti, sed obliuiosi, temerarij, iracundi, in affectibus violenti, mutationi obnoxij, omnia facilè suscipiunt & leui de causâ deflectunt à proposito; sanguinei pilis abundant, mediocri sunt corporis habitu, colore florido, cute molli, diserti admodùm, memoriâ mediocri, vtque mares fœcundissimos, sic feminas multiplici luxuriantes partu progenerant: nec tamen iis inde vita breuior, aut accelerata senectus accedit, in quibus ne mola quidem sine virili semine generari potest, nec pariendi tempus definitum: pituitosi quibus magnum, & obesum præ frigore & humore corpus, inconstanti sunt & hebeti ingenio, facili memoriâ, sed labili, simplices, ignaui, minimè ad iracundiam proni, quique ad quodlibet negotium vix sese nisi moniti sæpius accingant.

R OBVR δύναμις τοῦ κινεῖν ἕτερον ὡς βούλεται, in partium firmitudine, musculorum & neruorum valida constitutione positum: quorum ope grauia quæque corpora loco dimouentur, aut cohærentia firmiter à se inuicem diuelluntur: ad eam vt accedunt minimè, quibus imperat pituita, sic maximè quibus humor melancholicus neruis & ossibus (quæ præcipua sunt roboris firmamenta) nutriendis aptissimus dominatur. Hinc mulieres viris minùs robustæ, minusque calidæ, animaliaque ea quæ melancholica, puta boues, tauri cæteraque similia roboris primas tenent: quorum vt caro, firmando corpori non parum conducit, sic fossorum, athletarum, cæterorumque qui roboris specimen aliquod exhibebant, familiaris cibus semper fuit: qui tamen, vt crassiorem, nec facilè dissipabilem substantiam, sic affectus melancholicos sæpius inducit; quamquam multum attenuatus per venas lacteas, ab antiquis incognitas: Milonis Crotoniatæ ferunt humeris, multoties bouem impositum, & à Tritano gladiatore sæpius vno digito victum hostem eodem in castra translatum: sed quid de leuibus homo superbiat? corporis robur taurorum & elephantum virtus est non hominum, vt quæ leui morbo dilabitur, sic post summi vigoris ætatem sponte deferuescit.

O MNIVM animæ partium princeps ac regina mens est, quâ præditus homo cæteris animantibus antecellit, cuius ope res incorporeas & à materiæ commercio seiunctas, sine vlla instrumenti corporei necessitate contemplatur: est autem ingenium ea mentis acies, quæ latentissimos rerum scientiarúmque recessus citissimè peruadit: ad illud formandum multùm natura facit, parum educatio: huius nunquam malignitas labore vincitur: pituitâ, & polyæmiâ (quam sæpè sensuum torpor & stoliditas comitantur) hebetatur: subtiliore bilis portione non iuuatur tantum, sed si mediocri sanguinis laudabilioris portioni, coniungatur, absoluitur. Acutum ingenium, vt felix memoria, sic roboris præstantia raro sequitur: licèt à diuturniore vita non sit alienum: prudentes melancholia non ingeniosos facit; senilemque ætatem perficit; vt florentem accelerata nimium sapientia, contaminat, in qua, vt multa æstuansque bilis cumulatur, sic ingenio subtiliori locum præbet, & nouorum inuentorum copia scientiis, & artibus, vt lumen maximum, sic non mediocrem perfectionem largitur.

F ORTVNATI, quibus ingenio simul & robore valere licet: vtrumque in eodem homine reperiri, rebus humanis impositæ leges; obsistunt: Nimio plerumque membrorum robore vigor mentis hebescit: Naturâ vtriusque boni largitionem abnuente. Scytharum natio quæ robustissimos genuit, vix vnum Anacharsim Philosophum vidit: multis fortis dextera concessa est, qui bellum sine mente gerunt: magnâque spirituum terrestrium copiâ, quæ neruis & musculis vigorem impertit, obtunditur animus, non iuuatur: inde quò magis roborando corpori, per immodicas cibi potusque varietates studebis, ingenij vires franges, & quò plus vnius largieris commodo, tantò magis alteri detrahes: contrà verò corporis inediâ languoreque confectis nouus ingenio vigor accedit: cuius eò magis virtus efflorescit, quò vires alterius deflorescunt: non omnis tellus fert omnia, alij aliis rebus nati sumus: nonnulli solis corporeis rebus idonei sunt: multi contra corpore minùs valido perspicacioris ingenij dotibus informantur.

Ergo rara roboris & ingenij concordia.

~~279~~

Proponebat Lutetiæ TVSSANVS FOVCAVLT, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Pajot.	*M. Dionysius Ionequet.*	*M. Ioannes Bourgeois.*
M. Florimundus Langlois.	*M. Iacobus Gauois.*	*M. Mauritius de Monstrœil.*
M. Claudius le Vasseur.	*M. Michaël Marés.*	*M. Claudius de Pois.*

